

21
1765 8
R. 358.
DISSERTATIO IURIDICA
VERAM LEGIS Si a Sponso. 16. C.
DE
DONATIONIBVS
ANTE NVPTIAS INDOLEM
INTERPRETATIONEM ATQVE VSVM
PRACTICVM, MAXIME IN FORIS
ROMANO-GERMANICIS
SISTENS
QVAM
PRAESIDE
CHRIST. CONRADO WILHELMO
FRIDERICI

I. V. D. ET PROF. PVBL. ORD. REGII CONSIST. ECCL. CONSIL.
FACVLT. IURID. ADSESSORE

D. IX. IULII A. S. CIOCCC LXV.

ERUDITORVM PLACIDO EXAMINI SVBIICIT

GEORGIVS CHRISTIANVS ANDERSEN

GRYPHISWALDENSIS.

I. V. CAND.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS A. F. RÖSE
REG. ACAD. TYPOGR.





I. N. I.

SECTIO I.

DE

VERA, L. Si a Sponso C. 16.

DE DONATIONIBVS ANTE NVPTIAS
INDOLE.

PRAEFAMEN.

Tot inter magni nominis Iurisconsultos, quorum fama sarta atque tecta ad nos peruenit, illi reliquis palmarum praeripiisse nobis videntur, qui cum mascula illa, cuius restauratores merito dicuntur, Iurisprudentia, elegantiora, limpidissimis fontibus haustam, coniuxere, et densissima caligine depulsa, id egerunt, ut hominum Societas tanto sanctiori, atque arctiori vinculo colligeretur. In tanta enim rerum perturbatione, et legum obscuritate ars cri-

A 2

tica



tica in subsidium utique erat vocanda, qua duce id effectum accepimus, ut tandem vera a falsis dignoscatur, ius vero illud, quo maxime in foris hodie utimur, tam misere eo usque dilaceratum, castigatum atque purgatum prodiret. Nos quidem non latet, quantum detrimenti et illud genus hominum adserat iurisprudentiae, quod cohortem ὑπερηφόρων constituit. Sunt enim illi, qui veteres iuris libros non aliter ac reliquos autores tractant, et de iurisprudentiae nexu et usu parum solliciti, nihil per omnem vitam agunt, quam ut vrant, secent, legesque suo arbitrio fingant, refingantque a); eos tantum notare volumus, quibus omnis critica fordet, *Scire enim leges non hoc est verba earum tenere, sed vim ac potestatem b).*

Nec habes, quod nobis obuiias, sacratissimum Imperatorem interdixisse, ne quis audeat commentarios scribere legum, nisi tantum, si velit eas in Graecam vocem, et quidem κατα ποδα, transformare, cum ex ipsa ratione huius legis satis clare adpareat, hanc sanctiōnem non ad omnes interpretationes esse extendendam, sed ad peruerſiones istas speſſare; ne verbositas (interpretum) aliquid legibus adserat, ex confusione dedecus, ad quod auertendum, poenam falsitatis adeo constituit Imperator in eos, qui tale facere ausi fuerint c), et aduersus eos, qui in posterum leges per siglorum obscuritates ausi fuerint conscribere. Hinc III. HEINECCIUS l. c. rete monet: „Non omnes interpretationes, sed ὑπερηφόρως istos commentarios praecipue prohibuisse Imperatorem, vel inde patet quod paraphrasin satis liberam paullo post molitus est ille ipse THEOPHILUS, quem

a) HEINECCIUS in praefatione ad Cornelii v. Bynkershoek obseruat. Iuris Roman.

b) L. 17. D. de LL.
c) L. 2. §. 21. 22. et L. 3. §. 21.
22. C. de vet. iure encl.

„quem concinnando corpori iuris adhibitum a **I V S T I - N T A N O** constat.

Quam necessaria vero nostris temporibus *χρονις* sit, ad sananda ea, quae per indoctos scribas, glotatores, et typographos, integratati legibus et Codici inflcta sunt vulnera, neminem latet, qui vel primis labris sacra nostra degustauit. Vti vero officium illius, qui prouinciam hanc, satis arduam, in se succepit, praecipue in eo versatur, ut interpretetur obscura, et emendet vitiosa, maxime vero ut ad ipsam mentem legislatoris respiciat, et nobis hac tempestate incumbit, quid in tanta DD. dissensione, in explicanda lege nostra statuendum sit, inuestigare. Praecipue quum nobile hoc, et in foris frequentissimum argumentum, in vasto et summo pelago versari, omnes profiteantur. Quod vero ut tanto felicius succedat, legem ipsam *κατα την χρονιαζου* prosequemur, eiusque rationem sub incudem vocabimus, tandem quomodo de argumenti nostri usu pratico hodierno statuamus, plena manu dabimus.

§. I.

Est vero L. 16. C. de donationibus ante nuptias vel propter nuptias, et sponsalitiis, huius tenoris:

Idem A. ad Tiberianum Vicarium Hispaniarum. Si a sponso, rebus sponsae donatis interueniente osculo, ante nuptias, hunc vel illam mori contigerit, dimidiam partem rerum donatarum, ad superstitem pertinere praeceperimus, dimidiam ad defuncti, vel defunctae haeredes, cuiuslibet gradus sint, et quoconque iure succeferint, ut donatio stare (pro) parte dimidia, et resoluti pro parte dimidia videatur. Osculo vero non interueniente, siue sponsus, siue sponsa obierit totam infirmari donationem, et donatori sponso vel haeredibus eius restituiri. Quod si

A 3

sponsa



sponsa interueniente, vel non interueniente osculo donationis titulo (quod raro accidit) fuerit aliquid sponso largita, et ante nuptias hunc vel illam mori contigerit: omni donatione infirmata, ad donatricem sponsam, siue eius successores, donatarum rerum dominium transferatur. Accept. 13. Kal. Maii. Hispali, Nepotiano et Pacato Conf. 336.

Inscriptio legis IDEM. A, se refert ad Constantiū Magnum Augustum, qui et praecedentis legis autor habetur, quod ex subscriptione huius legis patet, quum Nepotiani Consulatus, Constantini tempora vtique attingat d). TIBERIANVS vero Vicarius Hispaniarum fuit e), et quidem post comites primus, qui eo vsque Hispaniae praefuerant f), hincque rubrum habet: AD VICARIVM HISPANICARVM, Constantinus nimirum, Imperium Romanum in Orientem, Illyricum, Italiam et Africam, Gallias, Hispanias et Britann. divisum, quatuor Praefectis Praetorio demandauerat g), quum vero Praefecti Praetorio tot tantisque rebus non sufficerent, Vicarios habebant fibi iunctos in dioecesibus, plures prouincias continentibus, qui iurisdictione instructi, ex mandato Principis, loco Praefectorum

d) Conf. Fasti Consulares.

e) GOTHOFREDVS ad L. 5. C. Theod. de Sponsalibus.

f) Plura de TIBERIANO exhibet GOTHOFR. Protopograph. C. Theod. voc. TIBERIANVS.

g) Conf. GVIDONIS PANCIROLI Notitia dignitatum, cum Orientis, tum Occidentis, ultra Arcadii Honoriique tempora. De quo egregio opere BVDERVS in bibliotheca iuris ita loquitur: Ad Historiam, et Iura Magistratum, qui fuerunt sub Imperatoribus, optime conductit *Notitia digni-*

tatum cum Orientis tum Occidentis, etc., quae sola prodiit cura PHILIPPI LABBAEI, Parisiis 1661. 12. cum eruditissimo autem Commentario GVIDONIS PANCIROLI Venetiis 1593 f. etc., qui etiam in Tomo VII Thesauri antiquitatum Graeviani extat. Accedit eiusdem tractatus de Magistratis municipalibus, qui separatis alias non prodiit.

h) Laudatus PANCIROL. I. Not. 98. BRVNNEMANNVS in Cod. ad Tit. XXXIX. et Tit. XXVI. De officio Praefecti Praetorio Orientis et Illyrici.

rum cognoscerent h^o), ita tamen ut si iustitiam minus recte administrarent, ad illustrem praefecturam tuitio pertineret i).

§. II.

Hanc vero legem ex Codice Theodosiano, in Iustinianum translatam esse, nemo non videt. Constantinus nimirum L. 2. C. Th. de Sponsalibus et ante nuptias donationibus, indolem donationis Sponsalitiae simpliciter factae, non secutis nuptiis determinat, eum in finem, ne nuptiis non secutis, tam facile ea apud donatarium maneret, et ut Sponsalitarum levitati obiciem poseret, quia iure veteri non secutis nuptiis donationes inter Sponsos simpliciter factae, penes donatarium indistincte manebant k). Distinguunt hinc inde Imperator, an voluntate, an morte Sponsorum acciderit, quo minus nuptiae secutae fuerint? Si prius, vel apud donantem stetit, et tunc donatio, donatario cedit, vel apud donatarium, et tunc ad donantem revertitur donatio l); si posterius, ad donantem, vel eius heredes pertinet. Mensem vero suam lege 5. C. Th. mutauit Constantinus, et hanc Sanctionem a Triboniano Codici Iustiniano insertam, decimam sextam accepimus.

§. III.

Insignis haec mutatio prorsus est notanda, nimirum, iuxta interpretationem huius legis, si quando Sponsalibus celebratis interueniente osculo, sponsus aliqua sponsae donauerit, et ante nuptias forsitan sponsus moriatur, tunc puella quae superest, medium donatarum solemniter rerum portio- nem poterit vindicare, et dimidiam mortui heredes adquirunt,

quo-

i) L. un. C. Si quacunque praeditus potestate. De Profecto vrbi, Praefectura Praetorianae, Praefecto Vigilum cura Annonae, ex instituto egit 10. AVGVSTVS BACHIVS in Historia Iuris prudentiae Romanae Lib. III. Cap. I. Cui adiungimus HEINECCIVM in historia Iuris Civil. ex Germanici Lib. I. Cap. V. §. CCCLXV.

k) GOTHOFREDVS ad h. t.

l) Quod ideo constitutum adstruit saepe laudatus GOTHOFREDVS c. l. vt Sponsalium quoque Sanctitatem, et vinculum seu foedus sponsalitium, spem denique matrimonii sanciret, et redupiorum discussio obviam iret.



quocunque per gradum successionis ordine venientes. Si vero osculum non interuenerit, sponso mortuo, nihil sibi puella de rebus donatis, vel traditis poterit vindicare. Si autem a puella aliquid sponso donatum est, et mortua fuerit, quamvis aut intercesserit, aut non intercesserit osculum, totum parentes pueriae, sive propinquai, quod puella donauerat, reuocabunt. Aliter igitur hac in lege conditionem donationis sponsalitiae, non fecutis per mortem alterutrius nuptiis, ac lege 2 supr. determinat legislator, ita nimirum, ut casu interueniente, quod sponsus donauerit sponsae, ad sponsum, eiusue heredes, cuiuslibet gradus, et quocunque iure successerint reuerti, dato vero osculo, dimidium ad sponsam eiusue heredes pertinere iubeat; si vero a sponsa quid donatum fuerit, et alteruter sponsorum deceperit, ut donatio semper ad sponsam vel eius heredes recurrat; osculum interuenerit, nec ne.

§. IV.

Has constitutiones suas fecit Imperator Iustinianus, nec tamen sine interpolatione, quippe qui *lege 16. de nuptiis*, sicco pedeterit, quae *lex 2. C. Th. de Sponsalibus et ante nupt. donat.* constituit, qua Constantinus congruum duxit, mortuo eo in quem fuerat facta donatio, ante matrimonii diem, quae sponsaliorum titulo data, ad donantem reuocari. Quo vero iure fecerit Imperator noster, aliorum iudicio lubenter committimus, cui haec constitutio ideo non arridebat quod certas causas matrimonio non consummandi attendi vellet, quod fecus Constantino videbatur, vti ex ipso rescripto Constantini patet, his verbis:

Nullis causis vterius requirendis, ne forte mores, aut origo dicatur, vel quicquam aliud opponatur, quod sibi quisquam non conuenire existimet, cum longe antequam sponsalia contrahantur, haec cuncta prospici debuerint. Multi quidem, vt JACOBVS RAEWARDVS m) et HIERONYMVS d'OROZ n) Iustiniano, et Triboniano vitio vertunt, quod

m) In TRIBONIANO, seu de veris
vscacionum differ.

n) in apicib, iur. civ. lib. 5. c. 7.

quod multa ab aliis iam tradita constituissent, imo quod Tribonianus veterum Iureconsultorum libros, ne sua facinora in digestis commissa detergerentur, suppresserit, hinc omnia flagitia in Triboniano inuenisse credunt, quorum eum in primis PROCOPIVS in anecdotis arguit. Hanc enim potestatem compilatoribus tribuit Imperator o), ut si quid in ICtorum veterum libris non bene positum, vel superfluum, vel minus perfectum, vel recentioribus constitutionibus iam mutatum et abrogatum inuenirent, illud reformarent, sine vlla criminis nota mutarent, arque ita ad mores temporum Iustiniani adcommodearent p). Hinc Ill. BRVNQVELL recte ait: *quamvis negandum non sit*. Tribonianum humani quid in colligendo iure Iustinianeo paſſum fuſſe. illi tamen, qui talia conuicia in eum enomunt, suo nimimum ingenio, ſuisque indulgenti affabilitibꝫ q), hinc et fuos defensores habuit, IUSTINIANVS, THEODORA atque TRIBONIANVS, quos rerum memorabilium copia, et studio defendendi superavit omnes, IOANNES PETRVS de LVDEWIG r).

S. V.

Hinc inde constitutiones Leonis et Anthemii praferendas esse, constituit Imperator noster, L. 5. C. de Sponsalibus, vbi de causis singulatim agitur, quibus speratum matrimonium, celebratis sponsalibus, vltro prohibetur, nimirum si propter leges generales confistere nequit, aut propter turpem, vel prodigam, vel impudicam conuersationem, aut religionis, aut sectae diuerſitatem, vel eo quod quasi vir coitum, ex quo ſpes

fobolis

o) l. 1. §. 7. C. de vet. iur. enuel.

p) Conf. IOH. JAC. WISSENBA-
CHII Emblemata Triboniani, ſue le-
ges a TRIBONIANO interpolatae, et
ad noui iuris rationem inflexae, qua
iterum cum IOAN. WYBONIS Tri-
boniano ab emblematis Wissenba-
chii liberato edidit. V. H. L. V. Halae
1736. 8. mai.

q) In Historia Iuris Romano-Ger-
manici Part. II. Cap. I. HEINECCIVS
c. I. lib. I. cap. VI. §. CCCLXXXIX.

r) In vita Iustini ni M. Theodo-
rae nec non Triboniani. Nomothe-
fiae THEODORAF Imperatricis speci-
mina, auro cedroque digna, dedit
Illustris ab ENGELBRECHT. Gryphis-
waldiae 1736. 3.

B



sobolis oritur, facere non potuerit, vel ob aliam iustum excusationis causam. Ideoque si nuptiae non sequantur ob contraria voluntatem sponsae, tunc si maiores sponsa, reddat arrhas duplicates, si autem minorenis, restituat tantum simplices, si ipsa, vel tutores eius acceperint. Si vero nuptiae ob impedimentum sanguinis vel religionis non potuerint confistere, quia nulla culpa puellae, ideo tantum simplices arrhas reddat s). *Lex vero decima quinta Codicis Justiniani*, cum *lege decima sexta de nuptiis non est confundenda*, Imperator enim noster *lege decima quinta de voluntario impedimento nuptiarum*, *decima sexta vero de involuntario agit*, nimur si per mortem, vel cäsum fortuitum fiat, vt nuptiae non sequantur. Quo casu, si sponsus sponsae donauit, et deinde osculum interuenit, dimidia tantum donatio reuocatur, sine osculo, tota redit ad sponsum; si vero sponsa dedit, indistincte donatio redit ad sponsam, licet osculum interuenerit. Ad singulas vero quaestiones, quae hic moueri queunt, facilis erit responso, si sequentes casus sedulo distinguis: Matrimonium, scilicet aut est consummatum, aut non, posteriori casu non est consummatum vel alterutrius, vel vtriusque diffensu, aut fato. Si plene consummatum est matrimonium, eius quoque sunt dona, cui data sunt, conditio enim impleta est, sub qua data sunt. Nuptiis e contrario non confeccis, eo respiciendum est; an diffensu illegitimo, aut legitimo alterutrum desponsatorum discessum fecerit? Si temere, quae dedit, amittit, quae accepit restituit, et quae promisit, adhuc transfert, e contrario, quae donauit repetit, quae accepit retinet, promissa quoque postulat, *per d. l. 15.* Si vtriusque diffensu dirimuntur sponsalia, et partes cum animi sui ira atque offensa minime discedunt, sponsalitia largitas utique restituenda, quia conditio nuptiarum non est adimpta.

§. VI.

De omnibus vero rebus, quae respectu futuri matrimonii datae sunt, vel restituendis, vel retinendis, pro dimidia parte,

^{a)} Plura vide apud BRVNNEMANVM ad L. Mulier. C. de Sponsalibus.

si a sponso, rebus sponsae donatis, interueniente osculo, ante nuptias hunc vel illam mori contigerit, lex nostra loquitur, hinc audiendus non est ANTONIVS FABER. t) qui vestes sponsae, promerenda, aut testificandae benevolentiae causa data, restituendas negat, quod pure donatae intelligentur, quum ultra omnem dubitationis aleam positum sit, post Constantini Sanctionem, quae simpliciter sponsae data, sub tacita futuri matrimonii conditione erogata praesumi, per d. l. 15. neque hodie in vim purae donationis sustineri, nisi probatum fiat, non esse rem datam spe atque intuitu secuturi matrimonii. Excipiuntur tamen res immobiles, a minore donatae sponsaliorum nomine, quarum non transit dominium, nisi magistratus accedat decretum per l. 8. C. de praediis et aliis rebus minorum sine decreto non alienandis, quod quidem si acceperit, valide res immobilis sponsaliorum nomine dabitur, nec obstabit amplius Senatus Consulti auctoritas, quum praetor auctor factus fuerit. arg. d. l. 8. Hinc probare non possumus G F O R G I I O B R E C H T I fententiam, *Oeconomia donationis Disp. 5. n. 14.* qua asseritur: Sponsalitiae largitatis materiam, esse solum res mobiles, non etiam immobiles, quod sponsalitia munera plerumque de manu in manum tradi soleant, cum leges generatim cuicunque rei simpliciter donatae, tacitam conditionem nuptiarum in esse praesumant. Nec immerito cum B R V N N E M A N N O quaeritur v): Annon leg. si filiae 10. L. si tibi n. et L. si mater 12. h. t. per legem nostram, sit deragatum? Colligitur enim ex his textibus: Quoties sine repetendi lege, i. e. sine expressa conditione, si nuptiae non sequantur, aliquid fuerit donatum, quod veluti donatio simplex statim valeat, nec nuptiis non secutis irrita reddatur. Ad quam ipsam quaestione III. B R V N N E M A N N V S citato loco mentem suam ita declarat: si palam sit ex confessione partium, vel depositione testimoniis, vel verbis instrumenti, non esse rem datam intuitu et spe matrimonii, licet ante vel post sponsalia sit donata, et tunc omnino liberalitatem eam, ut simplicem non reuocari, non fecutis nuptiis,

B 2

2)

t) Cod. Sabaudico L. 5. T. 1. v) Ad L. 10. c. h. t.
det. 2.



2) si sponsalia nondum sint celebrata, sed tantum in tractatu partes versentur, erit etiam donatio simplex, quae quidem ob spem nuptiarum, sed non sub conditione nuptiarum collata, et sic non redditur irrita non secutis sponsalibus, quippe sponsi nondum fuere. 3) Post sponsalia contracta, in dubio pro sponsalitia largitate ipsa donatio habenda, quae sub conditione nuptiarum facta. Et porro: Colligitur etiam ex l. si mater 12. c. t. si hoc inter sponsum et sponsam actum sit, ne res donatae redirent ad donantem, procul dubio non esse sponsalitiam largitatem, sed simplicem liberalitatem.

Vnde rescriperunt etiam Impp. Dioclet. et Maximian. in l. 9. de donat. ante nuptias, cum te sponsae filii tui quaedam donasse confitarris perfectam donationem rescindi, nec nostro oportet rescripto, quam tua voluntas, iurisque autoritas fecit rectam, et porro in L. II. eod. Si tibi res proprias sponsus tuus liberalitatis causa tradidit, eo, quod ab hostibus postea interfectus est, irrita donatio fieri non potest. Neque obstat L. si Praefidi 2. eod. quamvis et ea, quae parentibus sponsae donantur, simpliciter erogata videantur, qui enim parentibus sponsae donat, intuitu matrimonii sperati donasse praesumitur, hinc quoque nuptiis non secutis, dona repetit causa data, causa non secuta, quemadmodum hanc legem laudatus BRVNNE MANNVS in Comment. ad Codic. perquam egregie ita illustrat:

In hac ergo specie donauerat procus puellae parentibus, sed spe sua frustratus est hic procus, repetit donata: parentes excipiunt, sibi simpliciter esse donata, actor vero ob nuptias, vel spe nuptiarum.

Hanc quoque donationem semper excepero veteres, si in parentes collata fuerit, matrimonii prouocandi gratia iuxta allegatam legem 2.

§. VII.

Hinc, nisi omnia nos fallunt, recte colligimus, donationem inter sponsos, aliam esse simplicem, quae ex mera libera-

beralitate collata, nec nuptias respicit, aliam ob causam, quae iterum solet dispergiri a) in arrham, quae in ipso actu desponsationis offertur plerumque a sponso, sponsae, et vice versa b), in sponsalitiam largitatem, quae tempore intermedio, post celebrata sponsalia, ad nuptias usque fit, c) in donationem propter nuptias, quae in securitatem vel remunerationem dotti a sponso, vel marito conceditur. Quibus adiungitur M O R G E N G A B A, quae a sponso sponsae altero nuptiarum die, in praemium delibatae virginitatis, ut vulgo statuitur, dari consuevit, nimirum est donatio quae vxori postridie nuptiarum eum in finem fieri solet, ut possessionem thori adprehensam esse, significetur, L. Ripuar. tit. 37. §. 2. Almann. tit. 56. vti de L V D E W I G D. de dote mariti, argumentis auro cedroque dignis euicit, maritum donum hoc nouellae vxori offerre in signum arctissimi confortii, et communionis indiuiduae. Vnde nec hoc in passu differentia statuenda inter virginem et viduam ductam, de L V D E W I G in Commentar. ad. A. B. Tom. I. p. 549. x). Cum hac vero non est confundenda, illa M O R G E N G A B A E species, quam vxor iure peculiari ex mariti bonis

x) Laudatus autor in opuscul. miscell. Tom. I. Lib. III. p. 1169. c) vbi de matrimonio ad Morgeng. agit, rem ita exponit: Germanico iure ordinario nullum matrimonium, nisi verum, et quod Romani dixerunt conferreatum, vbi bonorum omnium inter coniuges communio. Sed excipienda inaequalia. Tum enim vxor plebeia cum liberis excluditur a successione per leges in feudis: in alladiis per paeta. Aut si manus etiam in his, per leges, si bona sint auta. Ut adeo imparem vxorem acquiescere oporteat donatione, aut GABA mariti, id est assignatione certae portionis sibi facta. Cum vero dona mariti, moribus Germanorum, manebantur, moribus Germanorum, manebantur, plerumque fierent, sive quod darent post concubitum compensationem per-

dita virginitatis, sive quod iudicia, pacta et leges apud Germanos ab hominibus adpellarentur, vnde vox MORGENSPRACHE statuta audiunt Coloniensis, Hamburgensis, Bremenensis, ciuitatum aliarum. Propterea que etiam huic forte matrimonio nomen manfit MORGENTHICUS, i. e. *Einer Heurarbs-Gab*, quod non deberetur, nisi ex mariti solius benevolentia, dono, munere - MORGENGABICVM et MORGENTHICVM enim non speciatim denotat matrimonium inaequale: sed uniuersim donationem mariti, etiam vxori factam aequaliter. De dotalitio conf. III. HENRICI NETTEBLADTI de Dotalitio e legibus et moribus Germanorum speciatim Meapolensem libellus singularis.



nis capit, quae dicitur MORGENGABA cum augmento Saxonico, quo pertinent: Alles feldgängige Weibliche Vieh, Kühe, Kälber, Ziegen, alle unbeseilte Mutter-Pferde, die vor den Hirten gehen etc. Et MORGANATICA, Longobardorum moribus recepta, quae denotat certam bonorum mariti partem, post huius obitum vxori dandam, nec quartam bonorum partem excedens.

§. VIII.

Quibus praefunctis patet legem nostram de sponsalitia largitate, sub conditione futuraru m nuptiarum data, loqui, reliquas vero donationes, quae inter desponsatos fiunt, ad Constantini rescriptum in d. L. XVI. minime pertinere, licet sponsalitiam largitatem, donationem propter nuptias, puram, et arrhas saepius hic confundantur. Arrha enim, nuptiis morte non secutis aliter, ac sponsalitia largitas restituenda est, per L. 3. C. de sponsalibus, et donatio propter nuptias in compensationem dotis conceditur, sponsalitia vero largitas, dotem non attendit, donatio pura, donationi simplici adnumeratur, hinc ut donatio iure facta consistit, quod in sponsalitia donatione per d. I. XV et XVI. non deprehendimus.

§. IX.

Ex his igitur quae dicta sunt, vt quidem opinor, sponsalitiae largitatis natura, sua radiat luce; quae vero, iuxta instituti rationem in medium adhuc suissent proferenda, ne limites nobis praescriptos transgrediamur, peculiari disquisitione sumus exhibituri proxime, pedem itaque hic figimus, et dictis imponimus.


FINE M.



ULB Halle
005 372 011

3





1765 8

DISSE^RTATI^O IVRIDICA
VERAM LEGIS Si a Sponso. 16. C.
DE
DONATIONIBVS
ANTE NVPTIAS INDOLEM
INTERPRETATIONEM ATQVE VSVM
PRACTICVM, MAXIME IN FORIS
ROMANO-GERMANICIS
SISTENS
PRAESIDE
CHRIST. CONRADO WILHELMO
FRIDERICI
I. V. D. ET PROF. PVBL. ORD. REGII CONSIST. ECCL. CONSIL.
FACVLT. IVRID. ADSESSORE
D. IX. LVII A. S. CIO IOCC LXV.
ERUDITORVM PLACIDO EXAMINI SVBIICIT
GEORGIVS CHRISTIANVS ANDERSEN
GRYPHIS WALDENSI.
I. V. CAND.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS A. F. RÖSE
REG. ACAD. TYPOGR.

